

bris suis inserendam, non ignorasset, puto, eam describere, at nusquam ea hisce, qui extant, libris reperitur, qui omnes integri sunt, praeter Philebum, Minoa et Critiam, quibus ea parte, qua trunci sunt, non potuisse hanc sententiam contineri satis ex consequentia
 5 a praecedentibus desumpta apparere potest, et sicubi ea tractanda fuisset, in Philebo locus illi aptissimus videtur tribuendus fuisse, ubi multa de fine et infinito, magis et minus, plus et minus, maius et minus tractantur, nullum tamen de magno et parvo verbum legitur. Hac ergo ratione nulla videtur Aristotelis reprehensio.

10 Sed in ea quoque ita nulla, ut est, non videtur ipse sibi constare. Nam 3. Physico capite 4. ita scribit:⁵ *Plato vero duo infinita magnum et parvum*. Primo autem Sapientiae capite 6. scribit praeter ea, quae cum Pythagoreis communia habuit Plato, eius proprium dogma:⁶ *Infinitem et magno et parvo, hoc proprium*.

15 Longe autem diversa et fere contraria sententia est magnum et parvum esse duo infinita: ab hac ex magno et parvo infinitum esse, veluti compositum. Sed cum aenigmatice haec sint a Platone non scripta, sed dicta, uti Heraclides et Estiaeus, non minus quam Aristoteles Platonis auditores testati sint, quid opus fuit tot
 20 locis ea replicare ac veluti apertum dogma insectari, cum praesertim ea, quae Plato de naturae principiis scripsit, aperte scripsit in Timaeo, in quo nulla de magno ac parvo isto, sed multa de materia docuit, de qua et ipse Aristoteles pleraque usurpavit, uti tomo antecedente palam est factum.

25 Secunda calumnia est primo libro De elementis capite 2:⁷ *Hoc idem accidere necesse est, etiam si, ut in Timaeo scriptum est, antequam mundus fieret, movebantur elementa inordinate: necesse enim*

⁵ Πλάτων δὲ δύο τὰ ἄπειρα, τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν. [ARIST. Ph. 203a.15 – 16]

⁶ τὸ δ' ἄπειρον ἐκ μεγάλου καὶ μικροῦ, τοῦτο ἴδιον. [ARIST. Metaph. 987b.26 – 27]

⁷ Τὸ αὐτὸ δὲ τοῦτο συμβαίνειν ἀναγκαῖον καὶ εἰ καθάπερ [καὶ ἢ ὥσπερ] ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραπται, πρὶν γενέσθαι τὸν κόσμον ἐκινεῖτο τὰ στοιχεῖα ἀτάκτως. ἀνάγκη γὰρ ἢ βίαιον εἶναι τὴν κίνησιν, ἢ κατὰ φύσιν. εἰ δὲ κατὰ φύσιν ἐκινεῖτο, ἀνάγκη κόσμον εἶναι. [ARIST. Cael. 300b.16 – 20]